THRENODIAM
super
Immaturo obitu
LUDOVICÆ ELISABETHÆ
Nobil. Spectabilis atque Consultissimi
DOMINI
ANTONII CZIMMERMANNI
Iudicij Palæopolitani Assessoris gravissimi
FILIOLÆ
An. 1693. *die* 5. *Maji natæ*
Anno 1700. die 28. Decembris denatæ
&
An. 1701. *die* 3. *Ianuar. Mariano Majorum sepulchro pie illatæ mæroris testandi ergo*
Ipso die funerationis scripserunt
E Gymnasio Thoruniensi

E Chalcographeo Thoruniensium.

NOs miseros! quam præcipites labentia casus
Secla petunt! quantis vita subacta malis!
Quam brevis hæc hominum vita est, sudoreq; plena!
Quam celeri transit gloria vana pede!
Tempora mutantur, sic nos mutamur in illis:
Fata, rotâ variâ, versa reversa vides.
Anni finis erat; finem posuisse malorum
Haut potuit Lachesis, sed ruit usque fera.
Heu! hesterna dies amplam virtute senili
Extulerat viduam: nunc nova busta parat.
Mutua vota damus, redduntur vota benigna;
Ast Tibi, *mæste Parens*, tristia verba damus.
Dum tua Filiolæ justis virtutibus auctæ
Fata gemenda gemo, fata ferenda fero.
O si virtutem viventis nectere versu
Dixisses, numeris aptior illa foret!
Si viventis adhuc potuissem dicere laudes,
Cresceret in longos gloria viva modos.
Curreret in metrum Pietas sincera, fidesque,
Queis *Ludovica* fuit condecorata piè.
Prima sacras illi devote volvere Chartas,
Fundere prima preces sollicitudo fuit.
Præcipuum studium, immũdũ contemnere mundũ
Et superas cupida quærere mente domos.
Sic vanæ fugit terræ commercia, postquam
Æternas avido pectore captat opes.
Sic vitæ sprevit fallacis gaudia, postquam
Æterno Christi flagrat amore frui.
Quid mihi vobiscum vanæ ludibria sortis?
Dixit: me cœlo præmia magna manent.
Quid mihi vobiscum splendor popularis, opesque?
Divitias veras nunc ego tota lego.

Quid

Quid mihi vobiscum fragilis fortuna, favorque?
Blandula me Christi dextra favore fovet.
Dixit, & in Domino tranquilla pace quiescit,
Cum nos cum pravis belligeramus adhuc.
Nempe, ubi magnetis vim ferrea linea sensit,
Magnetem sequitur linea tacta suum.
Possidet illa poli cœlestes divitis aras,
Aspectu fruitur, colloquioque DEI.
Hic ubi certa manent sanctas solatia mentes,
Et fidei plenæ præmia certa manent.
Ergo, *mœste Parens*, & gloria viva Virorum
Qui sibi de studijs nomen & omen habent:
Invideas minime cœlestis munera strenæ
Natæ defunctæ, quæ modo læta capit.
Ipse Deus sortem hanc meliori sorte repenset,
Et recreet votis quæ cecidere suis.
Faxit! ut optatâ cumuletur biga sororum
Sorte, GEORGI sors lætior alta petat!
Nos vero mortis teneat meditatio crebra,
Sic non errabit pesque manusque viâ.

M. Martinus Böhm Pr. Publ. & Visit.

PArvula sicne tuos contemnis Virgo penates?
Num sic fastidis limina grata Patris?
Ecce stupet Mater, Frater, svavesque Sorores,
Queis tecum placidè ludere dulce fuit.
Verba oris fuerant tua multo nectare tincta,
Quali uti Cœlo Numina sancta solent.
Risus erat placidus, qualem dant cymbala risum,
Vel quando excelsus vertitur orbe Polus.
In *M*ajo vidi cana inter lilia stantem,
Nescivi num tu, lilia num fuerint?
Si flores inter vidisset Flora Quiritum,
Dixisset credo: *Est Flosculus iste meus*.

Accessi propius, nisi te vox proderet osque,
Iurassem: *Video Lilia non hominem.*
Ille tibi candor vultu facieque resedit,
Ut flos hic vellet cedere nixque tibi.
Si quis vidisset lectas ex omnibus oris
Frontes virgineas, diceret: *Ista placet.*
Cedite fucati vultus & amicta dolosis
Illecebris facies, cedito picta cutis.
Innumeros homines capit hæc insana voluptas,
Ut volucres auceps ilice dulce canens.
Numina si teneram voluissent crescere Cœli,
Ludvicam nostram, credo, Atalanta foret.
O utinam posset suavem pro corpore florem
Linqvere, nil isto pulchrius orbe foret.
Iam corpus sine mente Patrum depone sepulchro,
Care Pater, Cœlum Filia mente tenet.
Gaude conjugij quisquis das pignora Cœlis
Talia, quique potes munera redde Deo.
Agricolæ doleant pereunt dum grandine messes,
Gaude qui Cœli pignora sede locas.

Paucis istis dotes naturæ
Virginis parvulæ descr.
Johannes Rezik Prof. Publ.
& Visitator.